

tas, quam multas nobiles animas possent secum trahere in cœlum principes et magistratus, si ipsi præire vellent! Trahere ad frequentem confessionem, si exemplo præluere! Nonne quando David Absalonem fugiens, habitu pœnitentis, nudis pedibus et operto capite flens, ascendit montem Olivarum, omnis populus similiter plorans et operto capite ipsum secutus fuit? I. Regum XV. Non erubescant ergo nobiles etiam personæ, si aliud principum suorum exemplum non vident, saltem Davidis exemplum sequi. Si enim secuti sunt errantem, sequantur et pœnitentem, quemadmodum dicebat Theodosio imperatori Sanctus Ambrosius. David a propheta Nathan de peccato suo reprehensus composuit psalmum quinquagesimum, in quo sunt tot gravissimi doloris affectus et judicia, quot sunt pene verba. Addit historia scholastica, quod admodum credibile est, mox ab ea reprehensione descendisse eum de throno, sedisse in terra, neque erubuisse in omnium conspectu confiteri suum peccatum. Addit Sanctus Chrysostomus, homilia in psalmum illum quinquagesimum aliud argumentum, dum ait, nulla excusatione Davidem elevasse culpam, sed quasi unum de plebe caput regium demisisse. Ille, inquit, *velociter rediens ad conscientiam tamquam fidelis et idoneus servus culpam simpliciter confitetur et dicit: Peccavi Domino. Vides et in dolore ingenuitatem animi. Nec dixit ad eum: O ille tu, cur non consideras fragilitatem humanam, cur non temetipsum carnalem intelligis? Aut nescis me in culmine constitutum esse regali? Cur mihi audacter impegesti crimen? Sed quid dicit? Peccavi Domino.* Regem ergo sequantur, qui non sunt reges; quinimo et qui sunt reges.

CONCIO II.

MILITANTES SUB BEELZEBUB QUINAM.

I. Qui divinatores consulunt. — II. Qui alios vexant et molestant. — III. Curiosus. — IV. Libertini et exleges. — V. Gulones et parasiti. — VI. Detractores. — VII. Otiosi.

THEMA.

In Beelzebub, principe dæmoniorum, eiecit dæmonia.
Luc. XI.

Sanctus Bernardus abbas Claræ Vallensis dedicaturus oratorium in agro Laudunensi, reperit illud a muscarum incredibili multitudine adeo occupatum, ut earum sonitus improbusque discursus gravem nimis introeuntibus molestiam generaret. Nullo ergo succurrente remedio, dixit sanctus: *Excommunico eas;* dixit, effecit; siqui-

dem mane omnes mortuas invenerunt: cumque pavementum operuissent, palis eas eiecerunt, atque ita demum basilicam mundaverunt. Refert in ejus vita, libro I. capite XI. Guilielmus abbas. Non minus quadragesima, quam quodcumque templum, Dei cultui sacrata est; et conantur pii omnes eam bonis et sanctis operibus Deo dedicare; sed ecce vobis Beelzebub, Deum et principem muscarum, in hodierno evangelio cum suo agmine obstantem et pia opera impediens. Quid igitur agendum? Excommunicemus istas muscas; atque utinam tam efficaci verbo, quam fuit id Bernardi! Cupio, inquam, ut hæ muscæ omnes extinguantur atque eliminantur, fiantque ex immundis et sordidis bestiolis munda animalia templo et cœlo digna. Quare ut hoc ipsi suapte sponte faciant, describamus aliquos Beelzebub assecelas.

I. Tales censeo, qui ad divinatores et ariolos abeunt consultum de rebus perditis recuperandis, futuris eventibus cognoscendis, morbis sanandis, etc. Beelzebub enim multorum sententia a muscis circumseptus, ob carnes ei sacrificatas et in muscæ formam effictus responsa quærentibus dabat, ad eumque misit in Accaron Ochozias rex ægrotans, interrogatum an recepturus esset valetudinem; propter hoc correptus ab Elia, denuntiante ei mortem propter illam impietatem, IV. Reg. I. Et sane ingens pudor erat regem Hebræum relicto Deo vero mittere ad muscam et consulere eam de vita sua. Et quid aliud sunt arioli et divinatores, nisi muscæ, vilissimique homunciones, aniculæ et rusticelli delirantes? Muscis igitur viliores censendi sunt, qui consilium ab illis muscis petunt vel expectant.

Non diffiteor per muscas illas vera interdum prædici, vel opem petitam obtineri, non ideo tamen licitum uti earum consilio vel opera; siquidem et Beelzebub contra muscarum multitudinem ac noxam invocabatur et subinde opem ferebat, unde *myagrum et myodem*, hoc est, muscarum venatorem et interemptorem appellabant eum gentiles, teste Pausania, in Arcadicis, Plinio, libro VIII. capite XXVIII. et aliis, interim tamen invocantes eum idololatræ gravissimum scelus admittebant. Quis non indignatur, quando audit christianum aliquem principem implorare Turcarum auxilium contra Christianos, hostes suos? Quis enim nescit Turcam non tam Christianis, quam sibi militare, cum in aciem prodit, nec unquam restituere, quas Christianorum terras occupat? Quanto vero indignius atque intolerabilius est videre Christianos currere ad dæmones pro ope vel consilio? Quid enim ipsi quærunt nisi ruinam nostram?

II. Inquieti homines, qui alios divexant atque infestant, id quod muscarum adeo proprium ac solemne est, ut hunc in finem nasci videantur, quo patientiam hominum exerceant. Reperiri autem hujusmodi homines testatur apostolus ad Galatas I. *Sunt aliqui, qui vos conturbant, inquit, et volunt convertere evangelium Christi*, hoc est, tradere ad Judæismum, ut evangelium famulari debeat et subesse legi Moysis. Hujusmodi muscæ infestissimæ sunt imprimis hæretici, non antiqui solum, quos Sanctus Augustinus, libro contra Fulgent. Donat. capite XIV. comparat muscis ex variis rationibus, sed etiam nostri temporis, qui cum elegerint sibi evangelium recens, quod libertatem carnis eis concedit, et ab omni jugo absolvit, trahunt evangelium Christi ad suum illud, et seligunt inde Scripturas, quæ videntur eis servire ad stabiliendam et tuendam libertatem suam: similes Proculi, teterrimo latroni, qui viatores suo lectulo applicare solebat, et si quidem proceriores essent, amputatione pedum decurtare, si contra breviores, nervorum extensione lacerare, teste Plut. in Theseo. Sic omnino hæretici, ut ad modum pravæ mentis et defensionem libertatis suæ sacras Scripturas fingant, nunc demunt, nunc de suo addunt, nunc sensum pervertunt, et hoc ipsum ex Spiritu sancti dictamine facere se jactant. Addidit Lutherus Sancto Paulo particulam *solum* scribenti: *Arbitramur justificari hominem per fidem, Romanorum III. dempsit Petro verba illa per bona opera*, II. Petri. I. versu X. Alias Scripturas trahunt ad suum sensum maxima violentia et temeritate, uti traxit in conventu Basiliensi Lutherus ea verba Christi: *Non veni pacem mittere, sed gladium*, quasi bellum suaderet, non pacem: et illa Pauli: *Si dormierit vir ejus, liberata est*, III. Corinthiorum VII. quasi uxor dormiente viro possit alteri consuescere: et illud ad Timotheum: *Noli adhuc aquam bibere*, epist. I. cap. V. quasi vinum episcopis præcipiat. Nati etiam ad hoc videntur hæretici, ut Ecclesiam exerceant, et in humilitate ac timore oves Christi contineant. Unde Sanctus Augustinus, epistola CV. ait: « Hæreticorum inquietudine, ut Scripturas vigilantius perserutemur, unde, ne ovili Christi noceant, possit eis occurri, tamquam de somno ignaviæ nostræ exercitatur industria. » Eadem ratione Isaias, capite VII. Ægyptios appellat *muscas*, quod stia infestatione punirent, excitarent et in officio continerent Hebræos: *Sibilabit Dominus muscæ*, hoc est, Ægyptiis, qui ob calidissimam regionem et insuetas pluvias muscis abundabant. Denique, sicut muscæ non vivunt diu, ita et hæreses parum

durant. Inter artificium Norimbergensium Regiomontani mathematicis eruditorum delicias erat muscam ferream ex artificis manu velut egressam convivas circumvolitare, tandemque veluti defessam in domini manum reverti, Petrus Ram. libro II. proœm. mathem. Musca talis Lutherus fuit, a dæmone fabrefacta et e manu ejus missa; ferrea, quia ferro, ut ipse supra dixit, propagata, circumvolavit ea Germaniam: verum jam defessa manifeste cernitur deficere, brevi reditura in oreum, unde prodiit.

III. Curiosus. Muscæ omnia rimantur et nihil fere clam ipsis haberi potest, quo non penetrent. Eo sensu Plautus dixit in mercat. Actor. II. sect. III. *Musca est pater meus, nihil potest clam habere illum, nec sacrum nec profanum est, quin adsit ibi illico.* Notissimum etiam muscas sua curiositate capi, dum per angusta vitrorum foramina ingrediuntur in muscipulas suas, et ibi cum exitum non inveniunt, merguntur maximo numero. Aliæ dum in dulces liquores vel involant, vel se immergunt, inviscatæ et mersæ pereunt. Idem agunt curiosi, qui dum omnia amantur, nihilque non penetrare volunt, Scripturas etiam sacras, quas non didicerunt, scrutari et exponere, sæpe illaqueantur, inviscantur et merguntur, uti superiore sæculo experti sumus in novatoribus, qui e Scripturis sibi incognitis absurdissima dogmata ad suam et aliorum perditionem eruerunt. Vastum nimis flumen, imo mare est Scriptura sacra: *In quo agnus ambulat, elephas natat*, ait Sanctus Gregorius, in proœm. moral. Multæ enim in ea sententiæ videntur ignorantibus, qui phrasin Scripturæ et modos loquendi nesciunt, esse sibi contrariæ: multa sunt adeo stupenda, ut incredibilia videantur. Sufficit inductis audire a doctoribus, quæ ad bene beateque vivendum faciunt: nihil opus eis in Scripturas et arcana Dei cognoscenda se immergere. Unde fr. Egidius, comes Sancti Francisci cuidam de inscrutabili prædestinationis mysterio multa inquirenti dixit: *Sufficit ripa maris ad lavandum pedes, manus et totum corpus: stultus est qui altum petit: sufficit scientia bene beateque vivendi*, ut in ejus vita, append. de sent. ejus. Sanctus Augustinus, tract. I. in Joan. refert curiosum ejusmodi catholicum a quodam Manichæo ad ipsius hæresim, occasione unius muscæ facillime perductum. « Nam nescio quis, inquit, tædium patiebatur a muscis; invenit illum Manichæus tædio affectum et cum diceret se non posse pati muscas et odisse vehementer illa, statim ille: Qui fecit has? inquit. Et quia tædio affectus est, et quia oderat illas, non ausus est dicere: Deus illas creavit, erat autem catholicus. Ille

statim subiecit: Si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Plane, ait ille, ego credo, quia diabolus fecit muscas. Et ille statim: Si muscas fecit diabolus sicut te video confiteri, quia prudenter intelligis, apem quis fecit, quæ paulo amplior est musca? Non ausus est dicere, quia Deus fecit apem, et muscam non fecit, quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locustam, a locusta ad lacertam, a lacerta ad avem, ab ave duxit ad pecus, inde ad bovem, inde ad elephantem, postremo ad hominem, et persuasit homini quia non a Deo factus est homo. Ita ille miser cum tedium passus est a muscis musca factus est, quem diabolus possideret. Beelzebub quippe interpretatus dicitur princeps muscarum. » Sic. Aug. Facile hoc contigit languidis catholicis, præsertim si aversionem habeant a sacris.

IV. Libertini et exleges. Tales enim videmus esse muscas, quæ licet hominum consortio perpetuo utantur, unquam tamen edomantur, ut illis obediant. Unde Plutarchus, libro VIII. sympos. q. VII. duo esse animantia, ait, quæ necessario hominum consortio utuntur, nulla tamen arte circuntantur ad hominis obsequium, muscam et hirundinem. Similes ergo his muscis sunt illi, qui cum in ecclesia inter fideles commorentur, nullas tamen leges ab Ecclesia recipere, sed suo vivere arbitrio volunt; quemadmodum rex Saul, qui Samuelis mandatis posthabitis suum sensum sequi maluit, quod adeo exaggeravit Samuel, ut eam agendi libertatem et inobedientiam peccatum ariolandi, seu idololatriæ appellaret, nec immerito: « Quia velut contempto divino altari, ait S. Gregorius eo loco, ad aras demonum responsa percipiunt, dum cordi sui præstigiis ac superbis adinventionibus credunt, et salubribus prælatorum consiliis contraria sentiendo refragantur. » Ergo sicut Ochozias, Deo vero præterito, misit ac consulendum Beelzebub; eoque ipso statuit sibi idolum in Deum, IV. Reg. I. ita et exleges isti, spreto vero Deo, qui per Ecclesiæ prælatos eis loquitur, erigunt sibi idolum capitis sui ac proprii iudicii, idque in rebus agendis consulunt. Qua in re videntur etiam gravius delinquere quam idololatriæ quia isti nec oraculum nec tabernaculum habent, quod in rebus ambiguis adeant: Christiani suum oraculum in prælatis suis adeoque ad manum habent.

V. Gulones et parasiti, mensarum asseclæ; cuiusmodi sunt et muscæ juxta notum illum versum:

Musca, canes; mimi sunt ad convivia primi.
Non invitati veniunt prandere parati.

Hinc parasitus apud Athenæum, I. VI. cap. IX. muscam se vocat, quod non invitatus ad cœnam ierit; et Alex. Magnus questus est se morderi ab his muscis, ib. e. VI. nec desunt, qui Beelzebub sic appellatum volunt ob multitudinem muscarum, quæ in ejus fano sacrificia sectabantur, indeque pascabantur, et quod totum ipsum idolum aspersum victimarum sanguine, insidentibus muscis plenum foret, ut noster Maldon. et Pererius sentiunt. Muscæ aversantur oleum velut sibi lethale, interim alia pingua amant, unde expressi parasitorum et lurconum typi sunt. Hi enim nil nisi epulas et convivia cogitant, jejunia et oleum oderunt: carnibus saturari, non salpis et halebibus volunt. Denique, ubi non editur et bibitur, ibi non hærent facile, velut in templo: popinis vero et culinæ perpetuo affixi sunt. Sed quemadmodum muscæ dum insidiantur epulis, præsertim liquidis et viscosis, quale est mel, facile merguntur aut invisantur, adeoque pereunt: sic fere contingit epulonibus ac heluonibus, incidunt in morbos, egestatem, rixas, et contentiones. Audiamus Ecclesiasticum, cap. XXXVII. *In multis escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram. Propter crapulam multi perierunt: qui autem abstinentes est, adjiciet vitam.* Quid nisi gula et vinum occidit Simonem illum principem Judæorum cum duobus filiis suis, dum invitatus ad convivium a Ptolomæo genero, inebriatus et interfectus est? I. Macch. ult. Quid Odoacrem Herulorum regem et jam fere totius Italiæ principem, nisi simile convivium Theodorici Gotthi, ad quod invitatus et bene potus, ab eo invasus et misere cum suis excarnificatus est? Cuspiniæ in Zenone. Denique: *Qui diligit epulas in egestate erit, qui amat vinum et pingua, non ditabitur,* ait Sapiens, Proverb. XXI. non modo in substantia, sed in anima etiam, quam expoliat per gulam: dum enim in-crassat carnem, spiritum extenuat, expoliatque vita gratiæ; et cum Jonatha dum gustat parum mellis, mortis æternæ periculo se exponit, quæ insania? I. Reg. IV.

VI. Detractores. Muscæ enim imprimis ad ulcera magis et carnem affectam convolant, eamque aculeis suis pungunt, lacerant et devorant, quam ad partes sanas. Ideo faciunt detractores, quæ sana et laude digna in altero conspiciunt, tacite prætereunt; quæ vero ulcerosa et reprehensibilia sunt aut videntur, ea linguis suis fodicant, mordent, lacerant: cruentæ et exosæ bestię, quæ cruore tantum gaudent et saturantur, de quibus Ezech. XXII. dicitur: *Viri detractores fuerunt in te, ad effundendum sanguinem, Septuaginta vertunt: Viri latrones; quia uti latro-*

nes præter pecunias vitam etiam viatoribus auferunt: ita detractores, cui famam eripiunt, sanguinem quodammodo et vitam civilem eripiunt, quæ longe præstantior est auro et argento, juxta id Prover. XXII. *Melius est bonum nomen, quam divitiarum multarum,* quia ut Ecclesiasticus XLI. ait: *Magis permanebit tibi (bonum nomen) quam mille thesauri pretiosi et magni.*

Secundo, muscæ etiam sanis membris et rebus candidis insident ac nitidis, eas tamen maculis frequentibus et nigerrimis, quæ vix eluuntur, inquinant conspurcantque. Pari modo detractores etiam virtutes et facta aliorum laudabilia dum maligne referunt, truncant vel in dubium revocant, fœdant et collutulant, adeo ut maculæ illæ audientium auribus tenaciter adhæreant, et vix unquam oblivioni dentur. Et quis facile auditur restituere famam alteri ablatam? Bene Eccles. cap. X. ait: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti,* hoc est, virtutes aliorum etiam nobilissimas, ut omnem saporem perdant; atqui: *Melius nomen bonum, quam unguenta pretiosa,* ait idem Ecclesiastes, c. VII.

Tertio, muscæ impudenter in quoscumque insident, in homines, leones, et in quæcumque corporis membra involant, in faciem, os, oculos, nullo habito respectu. Non dissimiliter detractores omnes aggrediuntur, infimos, supremos, laicos, ecclesiasticos, subditos, prælatos. Pharisei certe in hodierno evangelio ipsi Christo, miserorum servatori et dæmonum domitori, ausi sunt detrahere, et ipsius benefacta pessime interpretari, quasi forent dæmoniaca.

VII. Otiosi. Ut enim muscæ devorant alienos labores uti lac, quod dant pecora; mel, quod apes conficiunt; cibos, quos eo qui condunt, interim ipsæ nihil prorsus pro se vel aliis laborant: ita et otiosi. Quam ob causam S. Franciscus: *Si quem cernebat otiosum et vagum, et aliorum velle manducare labores, fratrem muscam nominandum censebat, eo quod talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens, vilem et abominabilem se omnibus reddat.* Ita S. Bonaventura, in ejus vita, c. V.

Alte hoc imberberat f. ejus B. Ægidius, qui memor verbi magistri sui non volebat vesci panibus nisi labore comparatis, etiam in ædibus cardinalis Tusculani constitutus; dicebat enim illud propheticum: « Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es et bene tibi erit. Impeditus aliquando fuit vi imbrum, ne extra cardinalis ædes posset ire ad labores. Cum vero cardinalis exhilaratus: Jam, inquit, vesceris cibis meis. Sed Ægidius nihil illi respondit, aliud secum meditans. Contulit autem se in culinam dixitque coquo: Quid ita pateris sordidam esse culinam? Dicente illo, neminem se in præsens

habere, qui eam purgaret, Ægidius ait: Da mihi pro labore meo quod edam, et ego sordem everram, quod cum utrinque factum esset, Ægidius ad cardinalis mensam iturus, duos secum panes attulit, quos labore suo acquisierat. Itaque cardinalis mirabatur tam eum sui propositi tenacem esse. Sed perseverante etiam postridie pluvia, cum nemo vellet uti Ægidii opera conducta, cardinalis gratulabundus ait ad eum: Profecto nunc meos edes panes. At Ægidius tacitus officinas perlustrabat, inveniensque duos rubiginosos cultros, illos accurate purgavit. Accepit autem pro labore panes duos, ad cardinalis mensam intulit, qui dolebat semper se frustrari spe et expectatione sua. » Et quid mirum Christianos detestari otium, quando etiam gentiles ferre id non potuerunt, velut turpissimum et homini perniciosum? Probus imp. statuit annonam gratuitam militem comedere non debere, unde nec otiosum esse patiebatur, teste Flavio Vopisco. Lacedæmonii nulli civium permittebant, ut vel in otio vel in ludicris tempus consumeret; quin et ephoris seu magistratibus suis mandatum dederunt, ne deambulationibus uterentur pomeridianis; namquam voluptatem sectarentur illi potius quam corpus exercerent, Ælian. I. II. var. c. V. Nescio an hoc loco etiam ponendus sit Domitianus imperator, qui inter initia principatus quotidie secretum sibi horarium sumere solebat, nec quidquam amplius quam muscas captare ac stylo præacuto configere solebat, teste Suet. in Domit. c. III. Una enim ex parte videbatur insinuare, otiosos velut muscas stylo configendos ac puniendos: ex altera sibi ipsi contradicebat, tam leviculo et indigno studio tempus terens. Quare non illi tantum inter muscas et Beelzebubianos recensendi sunt, qui nihil agunt: sed etiam qui nugatoria, inania ludicra, et puerilia agunt.

Atque hæc sunt muscæ auditores, a nobis excommunicandæ, enecandæ et ejiciendæ; ne, quod absit nos a Deo excommunicemur, atque e sanctorum consortio ejiciamus ad Beelzebub et consortes ejus.

CONCIO III.

DEFECTUS ALIQUOT JEJUNII.

I. Impetrare non rationabiles dispensationes. — II. Non Deo, sed sibi et aliis jejunare. — III. Cum impatientia jejunare. — IV. Defectum alterius refectio-nis compensare. — V. Non sancte et perfecte jejunare.

THEMA.

Cum immundus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem et non inveniens. Luc. XI.

De Sancta Aldegunde ex regia prosapia abba-

Issa Malbodiensi, refertur in ejus vita, 30. jan. apud Lipeloum, quod revelante Domino viderit aliquando humani generis hostem dire lamentantem et suam sortem deplorantem. Causam a sancta rogatus, dixit: *Ideo se tristari, quod cerneret filios Adæ in eas cæli sedes magno numero ascendere, unde ipse cum suis exularat.* Si ullum tempus in anno est, quod causam lamentandi ea propter dat dæmonibus, est tempus quadragesimale. Hoc enim illud tempus est, quo, ut ait Dominus in hodierno evangelio ejectus domicilio suo immundus spiritus ambulat per loca arida, et quærens requiem, non invenit. Eat nunc is ad domos saltatorias, nullum inveniet saltantem: pergat ad lusorum tabernas, neminem inveniet ludentem: ad culinas et popinas, nullas reperiet carnes, nulla convivia. Vicissim vero reperiet homines jam in templis vacantes pietati, domi jejuniis, foris eleemosynis. O miser et infelix spiritus, qui nunc instar canis famelici circueis civitatem, et non invenis quod rodas. Verum licet hoc ita esse habere bene in Domino confidam, non debemus tamen auditores nimium præfidere. Dæmon omnia rimatur, acutum et subtile caput habet, per angustum foramen intrat. Certe in hodierno evangelio invenit tandem domum sibi adornatam, quam intravit. Videamus ergo, ne etiam jejuniis nostris locum aliquem inveniat.

I. Locum ei aperiunt, primo, qui sibi nimium indulgentes impetrant vel extorquent dispensationes ad comedendas carnes et jejunium frangendum. Comedunt ergo non quia opus habent, sed quia appetitu calent. *Quare jejunavimus, inquit, et non aspicisti? Humiliavimus animas nostras petendo dispensationem et nescisti? h. e. non curasti? Quid ad hoc Dominus: Ecce in die jejunii vestri, inquit per Isaiam, capit. LVIII. invenitur voluntas vestra, q. d. jejunatis quando et quomodo vultis: non quomodo ego præcipio. Hi sane sub prætextu dispensationis seipsas decipiunt ac jugulant: simile Cleopatras reginæ Egypti, quæ in custodia ab Antonio detenta curavit sibi afferri cistulam, ficibus referam et sub eis latentem aspidem, ut custodias acciperet: quæ cum ficus, non difficile ei permisissent, nesciæ sub eis latere serpentem, illa aspidem corpori admovit et mortem sibi conscivit, Plutarchus, in Antonio. Hunc in modum delicatuli postulant permitti sibi carniæ esum sub prætextu indigentiae: latet tamen anguis in herba, propria voluntas et philautia, animam suam necant, quia sic volunt et cibos esuriales lastidio habent. Hic est ille serpens, qui blandis illis verbis: *Nequaquam moriemini: scit enim Deus, quia quocumque die comederitis, aperientur oculi**

vestri. Evam decepit pellexitque ad edendum de ligno vetito; quæ postea blandiens viro suo, ad eandem escam eum traxit, conjugis amore dulciter inescatum. Sic nimirum dæmon imprimis irritat carnem desideriis cibi vetiti: caro deinde nimis indulgenter habita et a spiritu amata, pellicit etiam spiritum. Ita miser homo excidit a gratia.

Pari in periculo versantur, qui sibi ipsis nimium creduli secum dispensant, sibi que aut carnes indulgent aut binam refectionem. Non permittitur medicis, ut in gravi morbo sibi ipsis medeantur, quia amore sui excessum in cura facile admitterent. Multo minus hoc concedendum alicui in cura animæ, præsertim imperito. Certe Saul displicuit Deo et reprobatus est a regno, quod secum ipse dispensavit sacrificium offerendo, I. Reg. XIII. et parcendo Amalec, I. Reg. XV. non expectato et consulto Samuele.

II. Qui non recta intentione, sicque non Deo, sed sibi aut aliis jejunant. Testatur hoc per Zachariam, cap. VII. Deus: *Cum jejunaretis . . . numquid jejunium jejunastis mihi?* Vult dicere: Cum in captivitate Babylonica jejunastis, ob penuriam victus jejunastis, non ex voluntate: adeoque non mihi, sed potius Babyloni, quæ nihil vobis dedit. Itaque aliqui jejunant coquis tantum, qui ideo abstinent, quia coqui eis nihil apponunt. Hoc jejunium non jejunanti, sed soli coquo prodest, qui labore eximitur. Hoc fructu et asini jejunant, quando nihil eis comedendum apponitur. Atqui Deus volentibus, non invitis et asinis, vult dare regnum suum, ut ait S. Bernardus, sermone de diligendo Deo: « Si invitum coegero, (ait in persona Dei) asinum habeo non hominem, quoniam quidem non habens veniet nec spontaneus, ut possit dicere: Voluntarie sacrificabo tibi. Numquid asinis dabo regnum meum? » Sic ille.

Alii suis dominis jejunant, quibus placere per jejunium, et favorem captare volunt; similes stultis illis prophetis Baal, qui cultris et lanceolis sese incidabant et vulnerabant, ut ignem cælitus suo sacrificio impetrarent; sed surdo Deo locuti fuerunt, III. Reg. XVIII. Sic enim hi carnem suam stulte macerant et conficiunt, ut gratiam sibi parent apud heros suos.

Alii ventri suo, ut sequenti die avidius vorent. Jejumat sic et vultur: jejunant sic et Turcæ, qui in suis jejuniis toto die abstinent, donec ad finem diei stellæ orientantur, postea abstinentiam suam liberaliter compensant, pergræcando tota nocte. De qua re S. Gregorius, hom. XVI. in evangelio ait in prædicta Zachariæ verba: Sibi quis jejunat, si ea, quæ ad tempus sibi subtrahit, non paupe-

ribus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit.

Alii bursæ, ut sumptibus parcant; quod speciem idololatriæ habet. Nam ut gentiles aliqui in gratiam deorum suorum jejuniis et vini abstinentia se macerant, teste Alexandro, l. VI. c. II. Apuleio, l. XI. ita isti fament in gratiam bursæ suæ. Unde speciatim avaritia appellatur *idolorum ærvis* ab apostolo ad Ephes. V. Crudeles fuerunt, qui idolis suis proprias immolarunt proles, sed nonne crudeliores sunt, qui propriam carnem immolant?

III. Qui cum murmure et impatientia. De quo Christum audiamus, Matth. VI. *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes: et mox: Tu autem cum jejunas, unge caput et faciem tuam lava.* Quæ phrasi, Palæsthini nota, festivam hilaritatem commendat in jejunio: nam Palæsthini festis diebus ungi oleo et lavari contra æstum et sudorem solebant. Vult igitur nos in jejunio esse hilares, non tetricos, impatientes, murmurantes. Et merito: « Absurdum enim fuerit, inquit S. Basil. serm. I. de laudibus jejunii, si ob cibos subtractos contristemur, ac non potius super animæ sanctitate lætemur, sicque videamur plus tribuere voluptati ventris, quam curæ mentis. » Proverb. XX. dicitur: Pondus et pondus abominabile est apud Deum, q. d. qui pondus addit ponderi, abominabile est apud Deum. Quis vero ille? Qui ponderi jejunii superaddit pondus impatientiæ et murmuris. Hic enim duplicat sibi pondus. Quo morbo videntur laborasse primi illi operarii in vineam Domini missi, Matth. XX. quorum unus murmurans, quod non plus mercedis acciperet, quam postremi, ait procuratori: *Pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus.* Ecce duplex pondus se portasse ait, diei et æstus; quasi vero hæc duo distincta pondera, et non unum pondus fuissent: non enim licet separare æstum a die. Itaque signum est, quod cum murmure et socordia primi laborarint, dum labores suos queruli amplificarunt; sicque jure merito posterioribus, qui graviter et patienter opus fecerunt, postpositi sunt. Murmurans etiam reprehensus est de oculo nequam. Unde aliqui ipsius mercedem sic explicant: *Tolle quod tuum est, primo, tuam damnationem, et vade, scilicet in infernum.* Non habemus nos causam murmurandi de jejunii austeritate contra primos Ecclesiæ operarios, longe enim severius jejunarunt illi, quam nos modo. Jejunabant usque ad vesperam, nec postea quidquam sumpserunt: abstinebant etiam ab ovis, lacticiis, vino, quin et aqua extra tempus, teste S. Ambrosio, serm. XXXIX. pauci eximebantur.

IV. Qui defectum alterius refectionis compensant. Primo, unius cœnæ lautitia et prolongatione, vel serotina, ut appellant, collationis nimio excessu; quo est jejunium hypocriticum. Contra quod Dominus, ubi supra ait: *Cum jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ;* qui Græcis *hypocritæ*, Latinis *histriones* appellantur. Notum autem histriones variis artibus imponere hominibus. Dant alicui rustico nummum aut nucem in manus aut saccum, interim clanculum, rursus surripiunt, et monstrant in suis manibus. Videntur dare et nihil dant. Ita cum Deo ludunt, qui sic jejunant, quod duabus refectionibus sumerent, in una comedunt; videntur ergo dare Deo aliquid et nihil dant: putantur jejunasse et cœnam Deo dedisse, cum eam jam devorarint in prandio. Bene igitur S. Hieronymus, in epist. ad Eustochium ait: *Nihil prodest biduo triduoque transmissio vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate jejunium.*

Secundo, clancularia comestione, quasi Deum omnia videntem fallere possunt: quæ insignis et stultitia et Dei injuria est; qualem dæmon intulit hodierno muto, quando eum reddidit etiam cæcum, secundum Matthæum. Sed ejiciet Christus aliquando dæmones istos cæcos vel cæcantes potius. Bernardinum Sennensem, ait ÆL. Sylvius, lib. II. comment. in Panorm. n. XXXI. quem cœlicolarum numero Nicolaus V. pontifex maximus adscripsit, inter concionandum fabulam hujusmodi referentem audivimus. Accepit ex villico matrona quædam nobilis recentia cerasa, quæ in thalamum reclusa, majori ex parte cum ossibus ore avido atque hianti manipulatim voravit. Coram viro deinde allatis, quæ residua fuerant, cerasis prius quam unum comederet, terque quaterque momordit quærens ex villico, quo modo cerasa ruri ederentur. Cui villicus, qui per rimulum vorantem feminam contemplatus esset: Quo tu, inquit, mulier paulo antea in thalamo, (confertim scil.) Erubuit mulier. Bernardinus eos bene aiebat, qui quæcumque agerent, aperta Deo atque hominibus esse putaret. Et quomodo, putatis, confundentur aliquando coram toto mundo et ss. angelis, qui hic clanculum vorant et interim jejunantes videri volunt? An nesciunt Deum introspicere ad ipsos per foramen seræ?

V. Qui non sancte et perfecte jejunant, contra id Joel. I. *Sanctificate jejunium.* In quæ verba S. Gregor. loco ait: Jejunium sanctificare est adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur jurgia. Incassum caro atteritur, si a pravis voluptatibus animus non refrænatur. Servi qui dominis suis